







Poi 28. n. 14

~~A. Co. 4~~  
1765, 1 AD

DISSERTATIO IVRIS GERMANICI INAUGVRALIS  
DE

STATV  
RVSTICORVM SERVILI  
EIVSQVE PROBATIONE

QVAM

P. 239  
CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM  
ORDINIS

PRO

L I C E N T I A

SVM MOS IN VTROQVE IVRE HONORES  
RITE LEGITIMEQVE CAPESSENDI

IN ALMA LVDOVICIANA

AD DIEM XXIX OCTOBR. CIOIOCCCLXV.

PVBLICO PROCERVVM ACADEMIAE EXAMINI

SVBMITTIT

NICOLAVS BINDER

BERGEDORFFIENSIS.

GIESSAE

APVD IOANNEM IACOBVM BRAVN.





fol. 28. n. 12

DISSERTATIO DE ...


STAV  
NICOLAI ...

...

...

...

...





PATRI OPTIMO

PIA. MENTE AETERNVM COLENDO

GERHARDO BINDER

VRBIS PATRIAE CONSULI DIGNISSIMO

OB INNVMERA A PRIMA INDE AETATE IN SE COLIATA  
BENEFICIA

HANC QVALEMVNQVE

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

CVM VOTO LONGAEVAE AETATIS

ET OMNIGENAE FELICITATIS

OMNI, QVA PAR EST, REVERENTIA

*D. D. D.*

FILIVS OBSEVENTISSIMVS

NICOLAVS BINDER.



PATRI OPTIMO

PIA MERITO ATTENTUM COLENDO

ERRARDO BINDER

ARBITRI PATRIAE CONSULI HIGIENICO

IN NUMERA A PRIMA INDE AETATE IN SE COLATA

RENERICIA

INTELLIGENTE

DISSECTATIONEM IN ANATOMIA

CUM VOTO LONGAEVITAE AETATIS

ET OMNIGENAE FELICITATIS

OMNI VITA PERPETUA

D. D. D.

INTELLIGENTIA

NICOLAUS BINDER







DISSERTATIO IVRIS GERMANICI  
DE PROBATIONE  
STATVS RVSTICORVM SERVILIS.

*Sectio I.*

*De Statu rusticorum servili generatim.*

§. I.



Quot quantaque controuersiae nouiori  
aetate de statu rusticorum antiquo &  
hodierno in foris nostris enatae fuerint,  
neminem latere potest, qui prima tan-  
tum iurisprudenciae principia cogno-  
uit. Potissimum vero in eo exarsit ICtorum no-  
strorum disputatio; *utrum rustici olim serui fuerint?*

A 2

&





& quid de vi praesumptionis ex pristina eorum conditione seruili petita statuendum sit. Sunt enim, qui omnes olim rusticos dura seruitutis iuge pressos, & tandem vno velut spiritu manumissos, atque adeo pro libertis Germaniae habendos esse contendunt, in quibus praesertim IO. GE. ESTOR 1) & IOACH. IAC. REINECCIUS 2) eminent. Alii vero hanc primaeuam rusticorum seruitutem negant, inter quos summo iure memorandi sunt CHR. VLR. GRVPENIVS 3) & IOH. LEONH. HAVSCHILD 4), quorum etiam sententiam approbavit summe venerabilis & illustris Vir, IO. CARL. HENR. DREYERVS 5). Iam quum ipse quoque negantium sententiam amplexus fuerim, placuit Speciminis inauguralis loco quaedam de statu rusticorum seruili generatim differere, & altera Sectione veras & putatiuas notas seruilis eorundem status in medium proferre.

- 1) In comment. de praesumptione contra rusticos in causis operarum. Ienae 1742.
- 2) de rustico quondam seruo. Ien. 1749.
- 3) in disceptationibus forensibus p. 1005. sqq.
- 4) in libello de praesumptione pro libertate naturali in causis rusticorum. Dresd. 1738.
- 5) in libro bonae frugis plenissimo: Sammlung veterischer Abhandlungen T. III. p. 1217.

§. II.





## §. II.

*Nunquam eadem ubique fuit rusticorum conditio.*

Ne autem statim in limine dissertationis peccare videar, hoc monendum est, me *rustici* 1) nomine hoc loco intelligere colonum, cui agri a principe vel priuato sub lege culturae & praestationis operarum aut censuum concessi sunt. Notum quidem est, in variis Germaniae territoriis deprehendi rusticos, qui ad operas & census non obligantur 2): certum tamen est, hanc ipsam eorum obligationem adeo vniuersalem esse, vt, si quaestionem an? spectaueris, recte praesumantur; quum ea quae vt plurimum & ordinarie fiunt, omnino praesumi debeant. Sin vero qualitatem & quantitatem operarum censuumque spectauerimus, adeo diuersa est rusticorum conditio, vt egregie fallantur, qui generales de illis regulas efformare contendunt. Quum enim ipsi agrorum domini, qui eos rustico sub lege culturae contulerunt, pro varia climatis, ingenii, familiae, vel ipsius adeo coloni conditionibus, nunc has nunc illas praestationes, sibi olim stipulati sint, & hodie etiam stipulari soleant: extra controuersiam positum est, nihil plane de iis in vniuersum statui posse, sed in definiendo harum obligationum modo semper ad pacta domini cum rustico vel possessionem respici oportere 3).

1) WILH.





- 1) WILH. FR. SCHRÖDTER diss. *de notione rusticorum in Germania*. Goettingae 1743.
- 2) R. A. NOLTENIVS *de iure villicorum* p. 148. seqq.
- 3) SAM. STRYCK *de diuerso Colonorum iure*.

§. III.

TACITI tempore rustici veri serui non fuerant.

Iam quod ad originem status seruilis rusticorum in Germania attinet, vulgo ad TACITI aetatem eam referre solent. Sed taceo, quod apud multas Germaniae nationes, e. g. *Sueuos* agricultura in honore fuerit, & agri ab ipsis liberis Germanis teste CAESARE 1) per vices culti fuerint: hoc certe ex curatiori inspectione TACITI apparebit, seruos, quos ille adlegat, non alios esse, quam qui hodie nomine rusticorum censualium liberorum (freye Zinsleute) insignire solemus. Ita enim ille 2): *Ceteris seruis non in nostrum modum descriptis per familiam ministeriis utuntur: suam quisque sedem, suos penates regit. Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut vestis, ut colono iniungit, & seruus haec tenet. Cetera domus officia vxor ac liberi exsequuntur. Verberare seruum, ac vinculis & opere coercere, rarum. Occidere solent, non disciplina & seueritate, sed impetu & ira, ut inimicum, nisi quod impune.* Hic sane locus manifeste indicat, rusticos, quos TACITVS seruos vocat, in sola obligatione ad censum praestantionem



tionem constitutos fuisse; neque quidquam inde provera eorum seruitute colligi posse; ut illustris **GEBAVERVS** 3) illos colonis partiaris, quos **Halb-Bauern** appellamus, recte comparasse videatur. Neque etiam ipsum serui nomen aliquem, in lectione **TACITI**, temere turbabit, cum **TACITVS** rustici 4) appellationem, quae apud Germanos valde honorifica fuit, & fere id, quod hodie einen **Landjunfer** vocamus, denotauit, colonis nostris accommodare dubitauerit, neque alia vox ipsi ad manus fuerit: ut adeo erroneam seruorum Romanorum & rusticorum Germaniae similitudinem effinxerit.

- 1) *de bello Gallico L. IV. c. 9. Conf. IO. CHR. CLEFEL in antiquit. German. c. 10. §. 2. p. 352. sqq.*
- 2) *de moribus Germanorum c. 25.*
- 3) *in programmate de dominica potestate apud Veteres Germanos p. 29.*
- 4) *cf. ERNESTI in clauae Ciceroniana voce: rusticus.*

§. IV.

*Sub regibus Francorum rustici serui non fuerunt.*


Hoc ipsum cum intellexerint Viri docti, ad aliam opinionem prolapsi, sub regibus Francorum seruitutem rusticorum Germaniae coepisse contenderunt. Scilicet cum ex indubitatis historicorum Veterum testimoniis constet, Francos, ad imitationem Romanorum,





norum, milites in bello captos, ad seruitutem rede-  
 gisse: hinc concludunt 1) in hac ipsa captiuorum  
 conditione origines seruitutis rusticorum merito col-  
 locari oportere. Enimuero haec quoque argumen-  
 tandi ratio falsa esse videtur. Equidem non nego,  
 bello captos ad seruitutem saepenumero redactos esse;  
 illud tamen certum est, neque omnibus captiuus  
 tristem hanc sortem accidisse. Deinde vero plane  
 non probatum est, hos ipsos captiuos, rusticos esse  
 effectos, atque adeo generalem de seruili rusticorum  
 conditione praesumptionem inde deriuari posse; quod  
 omnino probandum erat. Certe non omnes rusticos  
 pro seruis habitos fuisse, vel inde intelligitur, quod  
 ad militiam obligati fuerint, ad quam seruilia manci-  
 pia plane non admittebantur 2); quod manifestum  
 fit ex Capitulari Caroli Calui de anno 864, vbi ita 3):  
*ut pagenses Franci, qui caballos habent vel habere possunt,*  
*cum suis comitibus in hostem pergant; & alio loco 4):*  
*postquam Comes & pagenses de qualibet expeditione re-*  
*uersi fuerint, cet.* Neque etiam in veteribus scri-  
 ptoribus nota seruilis inuritur colonis, quibus agri  
 deuictae gentis concedebantur, sed tantum tributi  
 seu censuum ipsis impositorum mentio iniicitur, qua-  
 les etiam a liberis hominibus praestari animaduerti-  
 mus. Ita, vt vno certe exemplo id illustrem, ME-  
 GINHARTHVS 5) de Saxonum agris ait: *Vastatis*  
*indigenis & ad interneccionem pene deletis terram eorum*  
*iuxta*





iuxta pollicitationem suam victoribus delegavit, qui eam sorte diuidentes, cum multi ex eis bello cecidissent, & pro raritate eorum tota ab eis occupari non posset, partem illius, & eam quam maxime, quae respicit Orientem, COLONIS TRADEBANT, SINGVLI PRO SORTE SVA SVB TRIBVTO EXERCENDAM. Quae quum ita sint, nulla ratione pro vniuersali rusticorum seruitute, si vel maxime vnus alterue feruilis conditio- nis fuerit, hac aetate praesumi potest 6).

- 1) ita praesertim opinati sunt LEHMANNVS in *Chronico Spivensi* L. 2. C. 20, & POTTGIESSER de *conditione & statu Seruorum* L. I. c. 2. p. 33. sqq.
- 2) Ill. GE. LVD. BOEHMER de *iuribus ex statu militari Germanorum* pendentibus c. 1. p. 7. sqq. HANF de *vario militiae statu apud Germanos* §. 17. sqq. p. 37. sqq.
- 3) in BALVZII *Capitulavibus Regum Francorum* T. II. p. 186.
- 4) apud BALVZIVM l. c. p. 190.
- 5) de *translatione S. Alexandri*, in SCHEIDII *bibliotheca historica Goettingensi*. T. I. p. 3.
- 6) I. H. C. DE SELCHOW de *iuribus ex statu ingenuorum* pendentibus c. 1. p. 28. sqq.

§. V.

*Nec sub Regibus Cavolingicis rustici serui fuerunt.*

Paucis ergo iam dispiciendum est, vtrum sub Imperatoribus & Regibus Carolingicis serui effecti fue-





fuerint rustici? quod quidem cum ob scriptorum veterum silentium, tum aliis de causis merito negandum est. Primo enim nullibi memoratur, *Carolus M.* eiusque successores nationem aliquam deuictam seruitutis iugo obnoxiam reddidisse, hominesque proprios effecisse; quin potius in eo veteris aevi monumenta conspirant, populos deuictos sui iuris mansisse 1), suisque legibus relictos esse 2); qua in re mansuetudinem prudentiamque veterum Germanorum manifeste intelligimus. Et licet interdum ferocissimi ex populo aliquo deuicto, patria relicta, in alias terras transportarentur, quod Saxonibus factum fuisse notum est 3): hi ipsi tamen post transportationem, neque agriculturae destinati, neque libertatis iacturam fecisse leguntur; licet certum sit, ipsos aliis de causis hereditate paterna priuatos fuisse 4). Deinde vero nulla plane fide historica comperimus, statum rusticorum originariorum Germaniae vlla in re mutatum fuisse, nisi quod aucto aliquantum commercio, auctisque vitae necessitatibus, maior forte census, maiorque operarum numerus colonis impositus fuerit; quo ipso tamen ferui non magis facti sunt, quam conductor, cui locator maiorem rei conductae mercedem durioresque conditiones iniungit; praesertim cum abunde probatum sit, rusticos tum quoque iure ingenuorum omnimodo vfos esse 5).

1) 10.





- 1) IO. WERLHOF *notitia S. R. I. enucleata, Spec. I. c. 2. §. 80. sqq. p. 89. sqq.* CONRING *de origine Iuris Germ. c. 20.*
- 2) WERLHOF *l. c. c. 2. §. 174. p. 161. sqq.*
- 3) IO. DAV. KÖHLER *de Saxonum transportatione sub Carolo M. facta. c. 4. §. 3. p. 42. sqq.*
- 4) RENAT. CHOPPIN *de dominiis Franciae lib. 1. c. 11. §. 1.* HERTIVS *de hominibus propriis S. I. §. 1.*
- 5) DE SELCHOW *de iuribus ex statu ingenuorum pendentibus c. 1. §. 20. 21. 22.*

## §. VI.

*Origo seruitutis rusticorum in bellis Slaucis.*

Vera ergo seruitutis rusticorum Germaniae origo in bellis Slaucis quaerenda esse videtur. Slavi, potentissimus olim populus, magnam Germaniae partem ditione sua tenebant 1); perfidia tamen sua, crudelitate, & magno religionis christianae odio, reliquae Germaniae inuidiam sibi confluxerunt. Coepta ergo de delenda vniuersa gente consilia: Hinc praefertim *Henricus Auceps* horrendum Slauorum numerum cecidit, & per omnes Germaniae regiones, vt seruos 2), vendidit; inprimis vero Slauos, qui dicuntur *Lusici*, potentissime deuicit & ad vltimam seruitutem coegit 3). Idem plane consilium frequentes etiam Imperatores tenuerunt, captosque miseros homines in durissimam plane seruitutem redegerunt.





4). Continuiata sunt haec bella vsque ad tempora *Imp. Friderici I.* quo regnante potentissimus Dux, *Henricus Leo* reliquam populi Slauiici partem in terris praesertim *Mecklenburgicis, Lauenburgicis & vicinis regionibus* ad interuersionem pene deleuit, & eos qui in *Daniam* aliasue terras profugere tentarent, peccorum instar *Polonis, Bohemis* aliisque vendidit 5); inque vacuas eorum possessiones, novos deinde colonos ex *Belgio, Flandria, Saxonia, Westphaliaque* accessiuit 6).

- 1) WERLHOF *l. c. Spec. II. c. 2. §. 127.* POTTGIESSER *de condit. & statu seruorum lib. I. c. 4. §. 92. 93.*
- 2) WITICHINDVS *in annalibus Corbeiensibus, apud MEIBOMIVM in scriptoribus rerum germanicarum T. I. p. 650.* GVNDLING *in HENRICO AVCVPE, §. 22. p. 150. sqq.*
- 3) DITHMARVS *in chronico; apud LEIBNITIVM T. I. p. 324. sq.*
- 4) HELMOLDVS *in chronico Slauiorum lib. I. c. 12. 14. 25. sq.* DITHMARVS *l. c. p. 346. 349. 351. 372. sq.*
- 5) HELMOLDVS *L. I. c. 57. 88. lib. II. c. 5.*
- 6) *J. C. Lessere Abhandlung von Slämischen Gütern. p. 9. sq.*

### §. VII.

#### *Tristis conditio Slauiorum.*

Quo maior ergo olim gentis Slauiicae gloria, eo magis conspicua sunt tristitia gentis deuictae fata & vicif-



vicissitudines. Certe in eo omnes scriptores medii aevi conspirant, Slauos seruatorum more habitos & durioribus conditionibus obnoxios factos esse, quam olim inter rusticos Germaniae solenne fuit. Ita praeter HELMOLDVM & WITICHINDVM, quos allegauimus, DITHMARVS 1) ait, ipsos *ad ultimam seruitutem redactos esse*. ADELBOLDVS 2) porro refert, omnes Slauos venditos & militibus, praedae militaris more, diuisos esse. Inprimis de HENRICO Leone HELMOLDVS alio loco 3) diserte commemorat, ipsum Slauos *tributis per aratrum seruitisque ruralibus onerasse*, quod etiam fide recentiorum scriptorum comprobatur 4). Quo ipso negotio res mox eo deuenit, vt ipsum Slaui nomen *seruum* denotaret, quemadmodum etiamnum dicimus: ein *Sclav*, *Sclaveren* 5) cet. Eodem modo iam olim ALBERTVS KRANZIVS 6) scripsit: *Hodie ad summam indignitatem apud nos traductum est nomen Slauorum, quod quum nostrae regionis Wandali sint hodie grauissima pressi a Saxonibus seruitute, seruales homines & ultimae sortis mancipia reputentur*. Inde ergo deriuandum est, quod in regionibus, quas Slaui olim habitauerunt, rustici durioribus conditionibus premuntur, quam in reliqua Germaniae parte 7); ideoque in diplomatibus saepenumero Slaui a rusticis Germanicis distinguuntur; isti que praesertim *homines proprii*, seu *hals eigene Leute*, dicuntur.

1) l. c.





- 1) l. c. p. 325.
- 2) in vita Henrici II. apud LEIBNITIVM T. I. p. 436.
- 3) lib. I. c. 12 - 26.
- 4) GOLDASTVS de regno Bobemico P. II. p. 18. Chr. Schöpfens Chronick der Stadt und Stifte Wardeuyß P. I. c. 13. §. 30. p. 189.
- 5) de nomine: *Slauus*, quod olim hominem nominatum seu gloriosum denotasse dicitur, cf. BALBINVM in epitome rerum Bobemicarum lib. I. c. 10. & WACHTERYM in glossario voce: *Slav*.
- 6) in *Wandalia* lib. I. c. 6.
- 7) I. H. BOEHMER de iure & statu hominum propriorum. c. 1. §. 12. T. I. Exercit. ad Pand. p. 758. sq. POTTGIESSER lib. I. c. 3. §. 57. 58.

### §. VIII.

*Nunquam omnes rustici serui fuerunt.*

Ab hoc ergo tempore, quo multa Slauorum millia in seruitutem redacta esse leguntur, in diplomatibus mentio *hominum propriorum*, der eigenen Leute, fit, qui in antiquioribus diplomatibus plane non occurrunt. Scilicet cum in pristinis Slauorum habitationibus & iis in regionibus, in quas miseri homines deducti fuerant, rustici non tantum in reali obligatione ad operarum censuumque praestationem constituti essent, sed ius domini in Slauorum eorumque, qui lege Slauica praedia accipiebant, personas scrip-  
ptum





ptum esse videretur: noua appellatione opus videbatur, vt a pristina rusticorum familia distinguerentur 1). Neque tamen putandum est, omnes omnino rusticos more Sclauorum praedia sua colere coepisse, licet domini sine dubio omni modo id egerint, vt suos quoque rusticos, nouo seruitutis generi adfuescerent. Sollicite enim in diplomatibus legibusque mediis distinguuntur rustici liberi a mancipiis, quale quid, vt e mille exemplis vnum tantum alterumque adlegemus, in diplomatibus HENRICI I. a GVNDLINGIO 2) editis deprehendere licet. Simili ratione glossa ad Ius prouinciale Saxonicum 3) commemorat: andere vrye Lude, dat sind Meyere, & alio loco 4): Freyheit ist auch dreyerley unter denen die da dingpflichtig seyn: Landseßen sind die, die auch Barngilden heißen. Diese sitzen auf gemietem Laßgut, da man sie abweisen mag, wenn man will. Eundem in modum Imperator FRIDERICVS I. bargildos (zimspflichtige Bauern) disertè vocat homines francos 5); & in diplomate apud MEICHELBECKIVM 6) de barscalcis dicitur: isti sunt homines liberi, qui dicuntur barscalci, qui - complacitauerunt, vt ecclesiasticam acciperent terram, de ipsa terra facere seruitium. Certe in iis quoque regionibus, in quibus omnes fere rustici dura seruitutis lege premuntur, occurrunt, qui freye Gottesleute, Hoffreyen cet. appellantur, quod in Westphalia solemne est 7); vt ea taceam, quae a doctissimis

C

mis





mis viris, STRVBIO 8), GRVPENIO 9), HAVSCHILDIO 10) & SELCHOVIO 11) eam in rem iam latius exposita sunt; ex quibus apparet, vehementer falli eos, qui omnes omnino rusticos olim seruos fuisse contendunt.

- 1) HERTIVS de *hominibus propriis Sect. 1. §. 5. de SELCHOW de iuribus ingenuorum. p. 30. 31.*
- 2) in *Henrico Aucupe p. 306. 310. 313.*
- 3) *lib. 1. a. 44.*
- 4) *lib. 1. a. 2.*
- 5) IO. GOTTL. GONNE de *ducatu Franciae orientalis §. 38. p. 84.*
- 6) in *historia Frisingensi T. I. in Codice diplomatico p. 255.*
- 7) cf. ill. GE. LVDOV. BOEHMER praefat. ad *Strodtsmanns Sammlung Hofhöriger Rechte, & beatus BOEHMERVS T. I. P. II. respons. 73.*
- 8) de *Iure Villicorum c. 1. §. 5. p. 13. sq.*
- 9) in *observationibus p. 1051. sq.*
- 10) de *praesumptione pro rusticis §. 28. p. 109. sq.*
- 11) de *iuribus ingenuorum C. 1. §. 20. sqq. p. 53. sqq.*

### §. IX.

*Mutationes status rusticorum intuitu operarum.*

Cogitanti autem, quid summos adeo ICTos permouerit, vt rusticos, quos hodie liberos esse concedunt, olim in seruitute constitutos fuisse, opinati fuerint,



rint, illud in mentem venit; conditionem rusticorum saeculis XVI, XVII, & XVIII, aliqua ratione mitigatam esse, cuius rei veras rationes cum pauci scrutati fuerint, factum inde est, ut rusticos ex seruitute manumissos esse statuerint. Iuuat ergo in veras mutati status rusticorum causas paucis inquirere. Quod ergo primum ad *operas* eorum attinet, certum est, iam olim ideo pacta inter dominum & colonum celebrata esse. Ita in nobili diplomate apud MEICHELBEKIVM 1) dicitur: *Barfcalci - cum Wagone complacitauerunt - de ipsa terra condixerunt facere seruitium - arant tres dies temporibus tribus in anno, & secant tres dies, illud colligunt in horrea, & reddunt modios 15. ex his cet.* In multis etiam territoriis operae rusticorum fere per modum precarii praestari solebant, nec nisi libero eorum consensu. Hinc Speculator Saxo ait: *Der Richter mag auch kein Gebot noch Heerfarth, noch Bethe, noch Dienste, noch kein Recht auf das Landvolck setzen, es verwillige dann das Landvolck.* 2) Ipsi etiam principes interdum indigne ferebant, sin ipsorum causa rusticis operae essent impositae, quod nobili exemplo Archiepiscopi Magdeburgensis Ernesti ex WINNICHSTEDIO 3) & aliis illustrauit HAVSCHILDIVS 4). In aliis tamen territoriis nullae ideo conventiones cum rusticis factae, & coloni operas pro arbitrio domini praestabant. Enimuero cum olim hae ipsae operae, licet indeterminatae, essent admo-

C 2 dum





dum modicae; rustici illas patienter tulerunt. Crescente autem luxu, cum domini pro maioribus necessitatibus suis, maiores etiam & duriores operas exigerent; orti inde sunt magni tumultus & horrida bella, de quibus SLEIDANVS 5), scriptor fide dignissimus, latius exposuit. Hinc ergo domini a rusticis saepenumero litibus fatigati, e re sua esse videbant, definire, quid rusticus operarum nomine singulis mensibus aut hebdomadibus praestare debeat; factaque inde pacta de operis (Dienstrecke), quae optimam has lites decidendi normam continent 6). Iam si dominus eiusmodi conventiones aequitati conformes inire detrectaret, rusticosque nimis operis oneraret; saepenumero iudicis auxilio implorato, modus constitutus est ipsorum operis, eoque ipso effectum est, ut miserorum colonorum conditio tantum non in omnibus Germaniae territoriis maxime leuaretur.

1) in historia Frisingensi; in Codice diplomatico p. 255:

2) Sächsisches Landrecht lib. 3. art. 91.

3) in chronico Halberstadiensi §. 39. apud ABELIUM in der Sammlung etlicher alter Chroniken p. 367.

4) in den Veysschriften von Frohnen §. 8. p. 21. sqq.

5) in commentariis de statu religionis & reip. sub Cavolo V. (Argent. 1556. 8.) lib. V. p. 120. sq. p. 128. sq.

6) BALTHASAR de operis subditorum c. 11. GE. ENGELBRECHT de operis rusticorum §. 64. sq. PVEENDORF



*Observationes T. I. obs. 121. GRUPPEN in discept. fovenf.  
p. 1013. §99.*

§. X.

*Mutatio status rusticorum introducto iure hereditario.*

Simili ratione melior facta est conditio rusticorum, ex quo ius hereditarium in curias censuales ipsis concessum est. Iam quidem negari non potest, fuisse iam olim rusticos, qui hereditario iure villas suas possidebant 1): certum tamen est & expediti iuris, in plerisque territoriis Germaniae ius rusticorum ad certum tantum tempus restrictum & in arbitrio domini positum fuisse, vtrum filio curiam, quam pater possederat, conferre, vel alii colono eandem dare vellet. Enimuero haec ipsa colonorum mutandorum nimia libertas commodis Principum & nobilium maxime aduersata est, cum rustici, qui non suis liberis & nepotibus, sed aliorum vtilitati inservire cogentur, rem agrariam aut dissolute curarent, aut certe agros non ea diligentia tractarent, qua paterfamilias solet, qui in familiae suae emolumentum operam se insumere perspicit. Quod ipsum cum animadverterent domini: factum est inde, vt Saeculo XVI. & XVII. plerique principes, nobiles & ciuitates pacto vel praescriptione ius hereditarium rusticis suis indulgerent 2); & licet etiamnum in aliquot Germaniae territoriis, rusticis praedia sua ad certum





tantum tempus conferantur, eoque elapso, domino vindicandae curiae potestas referuari soleat: obseruatum tamen est a Viris doctis, hac ipsa temporis adiectione non arbitrariam fieri rusticorum expulsionem, sed id tantum plerumque agi, vt, finito tempore, contractus renouetur, dominoque nouum laudemium, lege, pacto vel obseruantia definitum offeratur 3); quo ipso, quantum aucta sint rusticorum commoda, manifeste intelligitur.

- 1) ill. Jul. Melch. Strube vom bevestigten Erbrecht der Stifft-Hildesheimischen Meyer p. 1. sqq. p. 74. sqq.
- 2) ill. DAV. GE. STRUBE de iure villicorum c. 8. §. 3. sqq. p. 295 sqq.
- 3) STRUBE l. c. c. 8. §. 18. & in accessionibus ad ius villicorum c. 2. p. 10. sqq. IO. AD. KOPPIVS in den Lehns Proben T. I. p. 304. sqq.

§. XI.

*Mutatio status rusticorum post introducta onera publica perpetua.*

Inprimis autem commodis rusticorum profuit introductio onerum publicorum perpetuorum. Notum est, iam olim a subditis aliquas collectarum seu steurarum species Principibus praestitas fuisse; plerumque tamen in casu extremas necessitatis tantum, & per modum subsidii charitatiui, qua de causa precariae, seu Beden 1) quoque nominabantur, quia nempe ad preces principis indulgeri solebant. Sensim





sim autem res immutata, & onera publica, olim temporaria, facta sunt perpetua, cui rei bella hussitica, turcica, tricennale, & constitutio *militis perpetui* occasionem dederunt. Ex quo enim miles conductitius Principibus nostris perplacuit, isque ad perpetuam territorii defensionem ali coepit: res ipsa Principibus necessitatem imposuit, vt steuras quoque ordinarias ac perpetuas redderent, e quibus nempe miles alendus est. Iam cum magna harum steurarum pars rusticis praestanda incumbat: Principum intererat, horum vilitati & commodis omni modo prospicere 2). Hinc in plerisque territoriis legibus sancitum est, rusticum non maioribus censibus onerandum esse, quam quidem olim eum praestitisse exactis librisque censualibus 3) manifestum reddi potest; ne nempe nimium a domino praedii vexatus oneribus publicis praestandis impar reddatur. Eadem de causa expulsio rusticorum ita restricta est, vt dominus eum arbitrarie, & sub spe maiorum praestationum a futuro colono faciendarum expellere omnino prohibeatur 4); neque etiam curiam vacantem praedio nobili iungere possit, sed statim alii colono, sub lege soliti census & solitarum operarum tradere iubeatur 5); quo ipso conditionem rusticorum multis modis in melius efformatam esse, quilibet, me quoque non monente, statim deprehendet.

I) WACH-





- 1) WACHTER in *Glossar. Germ. voce: Beden. Ill. STRVBE in obseruat. Iuris & hist. germ. p. 86. sqq.*
- 2) Conferendus est praecipue ad hunc locum *ill. GE. LVD. BOEHMER in praefat. ad CARSTENS lib. sing. de successione villicali.*
- 3) C. W. STRECKER *de census ex libris censualibus probatione*
- 4) *Ill. STRVBE de iure Villicorum c. 8. §. 12. DE LVDOLF in Obseruat. P. I. Obs. 159.*
- 5) quod multarum Germaniae prouinciarum legibus probauit *de SELCHOW in elementis iur. germ. §. 367. p. 409. sqq.*

## *Sectio II.*

### DE PROBATIONE STATVS SERVILIS RVSTICORVM.

#### §. XII.

*Definitio seruitutis eiusque diuisio in realem & personalem.*

Perpectis ergo generalibus status rusticorum vicissitudinibus, transeundum est ad alteram quaestionem, probationem nempe seruitutis rite instituendam. Quod ergo primum ad definitionem seruitutis germanicae rusticorum attinet, generatim in eo conueniunt Icti pragmatici, eam in obligatione ad praestationem operarum & censuum collocari oportere. Iam si haec obligatio personae incumbit, rusticus inde fit seruus, homo proprius, *Leibeigen;*  
fin



fin vero praediis tantum cohaereat, *servitus* oritur *realis*, quae in plerisque rusticorum speciebus deprehenditur. Recte omne discrimen definitur a glossatore Speculi Saxonici 1), qui ita: Zu einer Auflösung sollt ihr wissen, daß etlicher Dienst liegt auf dem Manne, etlicher auf dem Gute. Der Dienst, der auf dem Manne liegt, der macht ihn eigen und heist davon *servus*, und der Dienst, der da auf einem Gute liegt, macht einen nicht eigin; davon muß aber der Mann dienen dem, des das Gut ist, darum daß er das Gut halten wil. Cum enim ab omni inde aevo homines nobiles aliique honesto loco honorati ab omni operarum censuumque obligatione abhorrent, factum inde est, vt *servile* quid huic negotio inesse opinarentur maiores nostri. Hinc inauditum fere est, militares homines huic obligationi se obnoxios reddidisse, cuiusmodi tamen exemplum exhibet SCHEIDIVS 2), vbi Her *Basilius* *Bock*, *Kidder*, und *Basilius* *Wulvesberch*, *Knecht*, *syn* *Sone*, *praedium* *villicale* accipiunt (an *Meygers* *Wise*), & *censum* *operasque* pollicentur (*Pflicht* und *Eyns*). Cum ergo fere omnes rustici Germaniae ad praestationem eiusmodi operarum & censuum adstricti sint: merito dicendum est, eas aliqua *servitutis* praesumptione premi 3). Enimvero maxima inter ipsos differentia inde oritur, quod hominum propriorum obligatio personae cohaereat, hique adeo *cessione curiae*, quam colunt, ab hoc onere se liberare

D

rare





rare nequeant. Secus autem dicendum de reliquis rusticorum speciebus, v. c. villicis, hominibus liberis meierdingicis, haegeris, aliisque, de quibus in iure Germanico latius exponi solet 4). Licet enim v. c. villici in terris Brunsvico-Luneburgicis 5) & alibi eosdem fere census, easdemque operas praestare soleant, quibus homines proprii in episcopatu Osna-brugensi, Lusatia & alibi obnoxii sunt: in eo tamen maxime ab iisdem differunt, quod ipsorum obligatio tantum realis sit, atque adeo cum ipsa possessione praedii extinguatur, & hinc rusticus liber, resignato praedio nullis amplius praestationibus subiectus sit, & ius disponendi de sua persona liberrimum habeat. Homo proprius vero, si vel maxime curiam suam amittat, domino tamen obnoxius manet, ipsique operae adhuc & census imperantur; nouaeque curiae etiam inuitus praeponi potest, quae omnia in reliquis rusticis cessant, quibus dominus nouam curiam, ipsis renitentibus non potest obtrudere, sicuti ipsis libertas quoque abunde, amisso praedio suo adimi non permittitur.

1) *Specul. Saxon. lib. III. art. 42. p. 374.* edit. GAERTNERI.

2) in den Nachrichten vom teutschen Adel p. 485.

3) de quo latius exposuit B. BOEHMERVS in *diff. de libertate imperfecta rusticorum Germaniae T. I. Exercitatio ad Pand. p. 810. sqq.*

4) de SELCHOW in *elem. iur. germ. §. 388. sqq.*

5) Et.



5) Eiusdem Anfangsgründe des Braunschro. Lüneburgischen Privat-Rechts S. 241. Sqq.

§. XIII.

*Nomen: mancipium aut seruus, veram seruitutem non probat.*

Ex his ergo manifestum est, in probando statu seruili rusticorum semper respiciendum esse ad obligationem personalem operarum & censuum, restrictumque ius rustici de persona sua disponendi. Plerumque tamen in adstruenda hac probatione prouocatur ad denominationem seruorum & mancipiorum. Et licet negare nolim, has appellationes adiuuare probationem: pro vera tamen nota characteristicam seruitutis easdem reputandas esse nego. Certum enim est, nomen *Rnecht*, plerumque personam equestrem cingulo militari nondum ornatam 1) interdum vero tyronem 2) denotare, quod de serui 3) etiam nomine constat. Similiter vox: *mancipium*, licet saepenumero personam seruilis conditionis indicet: multis tamen exemplis probari potest, non raro nobiles homines, nexui ministerialitatis obnoxios, mancipii nomine insignitos fuisse. Ita apud *GRVPENIVM* 4) in diplomate de anno 1173. dicitur: *Vir quidam liber Hameco nomine de villa, quae Meretarph dicitur, cum uxore libera nomine Frideburth, & tribus filiis, se tradidit ecclesie, que monasterium Sancte Marie dicitur, iuxta castrum Swalenberg iure ministerialium Paderbor-*  
D 2 *nen-*





nensuum - . nulli filiorum eius vel posterorum liceat accipere uxorem, nisi fuerit mancipium ipsius ecclesie, vel sit libera, ut possit fieri ecclesie. Similiter in diplomate apud RVDOLPHIVM 5) occurrunt: *mancipia, siue militaris seu vulgaris aut cuiuscunque conditionis*; qualem chartam, ut alia taceam, etiam SCHANNATIUS 6) publicauit. Quae quum ita sint: nemo, qui praesertim negligentiam veterum notariorum 7) ad animum vertit, ex sola talismodi appellatione ad veram seruitutem rustici facile argumentabitur.

- 1) Riccius vom Landsäßigen Adel P. 1. c. 38.
- 2) Dn. de SELCHOW de iuribus ex statu ingenuorum pendentibus c. 2. §. 45. p. 138. sqq.
- 3) Chr. Gottl. Schwarzens Erläuterung des problematis vom Erbschildträgeramte p. 125. sqq.
- 4) in Originibus Pyrmontanis & Swalenbergicis p. 34. Idem quoque diploma exstat apud SCHEIDIVM vom Adel p. 108.
- 5) in Vindiciis superioritatis territorialis aduersus exemptiones nobilium p. 164.
- 6) in Clientela Fuldensi p. 12.
- 7) cf. HENR. OVERKAMP de sincera & secuta artis diplomaticae crisi (Lipf. 1758.) c. 2. §. 9. p. 107.

#### §. XIV.

*Idem dicendum de nomine litorum & iuris litonici.*

Quod de mancipiis modo diximus, similiter ad litones pertinet. *Litorum* s. *Litonum* 1) vox sine dubio



bio germanica est, & hodierno vocabulo: der Lutte exacte respondet, quod secundum usum vulgarem omnes personas, quae ministeria sua nobis spondent, comprehendit. Hinc ab ESTORE 2) & ill. DAV. GE. STRVBIO 3) iam obseruatum est, hanc vocem saepissime liberis quoque hominibus applicatam fuisse. Illustre eius rei exemplum praebet Diploma 4) Ducis Magni Brunsvicensis de 1367, quo liberos suos ex concubina natos a iure litonico liberos pronunciauit (we laten si los alles Latrestes) quo loco homines proprios nemo subintellexit, cum probabile non sit, patrem liberos suos pro mancipiis habuisse, sed tantum nexus litonicus matris ad liberos transire prohibitus esse videtur; licet notum sit, alias in medio aeuo spurios saepissime in seruitutem principis, nomine der Königsfinder 5) incidisse. De caetero ipsos litones in aliqua seruitutis specie constitutos fuisse non nego; idque manifeste probatur ex chartis ab ill. STRVBIO 6) publicatis. Maiora tamen priuilegia prae aliis hominibus propriis, ipsis indulta fuisse, inde potissimum manifestum sit, quod extra casum delicti curiis suis priuari non possent, neque etiam nisi cum ipsa curia in alios a domino transferri possent 7). Hinc si dominus euriam sine litonibus venderet, consensu ipsorum opus erat, quem in finem plerumque manumissi esse leguntur. Ita, vt alia taceam, a, 1205. Waltherus de Amerslewen, coe-

D 3

nobio





nobis Walkenried, nouem mansos praedii Schauen venditurus ait 8): *homines praeterea proprios meos eisdem bonis attinentes, vt huic venditioni voluntarie consentirent, omnes libertate donauit.* Haec ipsa autem litorum praerogatiua dominos permouit, vt si litorum manumitterentur, curias suas litoricas relinquere, vel elapso tempore praefinito in pristinum statum regredi iuberentur; quae quum ita sint, & nomen litorum liberis aequae ac seruilis conditionis rusticis commune fuerit, ipsa quoque litorum conditio admodum singularis sit, nec ad exemplum trahi possit: facili negotio colligitur, quam lubricum sit argumentum, quod ab appellatione litorum ad generalem probationem seruitutis plerumque duci solet.

- 1) HALTAVS in *Glossario* voce: *Leute*.
- 2) *de ministerialibus* c. 2. §. 133.
- 3) *de iure Villicorum* c. 1. §. 6.
- 4) apud SCHEIDIVM vom *Adel* p. 498. sq.
- 5) HERTIVS *de hominibus propriis* c. 3. §. 3. PVENDORF. *T. III. Obs. 13. §. 4.*
- 6) *de officio litorico*, in *parergis Goettingensibus* lib. II. p. 3.
- 7) ill. GE. LVDOV. BOEHMER Praefatio ad STRODMANNI *Collectionem von Hofhörigen Rechten*.
- 8) apud SCHEIDIVM vom *Adel* p. 433.

§. XV.



§. XV.

*Maritagium non probat seruitutem.*

Alio argumento ad probandam rusticorum seruitutem uti plerumque solent viri docti; obligatione nempe rusticorum ad praestandum domino praedii maritagium. Quod ad naturam & indolem maritagitii attinet, generatim denotat pecuniam pro concessione matrimonii ineundi a rustico soluendam; quod variis appellationibus insignitur, & Schürzengelb 1), Vogthend 2) Bedemund, Marcheta cet. nominatur. Sin originem huius praestationis spectes, vulgo ad *ius primae noctis* prouocant, quod olim dominis competuisse, & ope huius pecuniae a rusticis redemptum esse putatur, quam tamen anilem fabulam ex iure patrio dudum proscrisit Ampliff. GRVPENIUS 3). Quod autem ad rationem praestiti huius census attinet, sollicitè distinguendi sunt rustici liberi ab hominibus propriis. Homines proprii nempe cum quoad personam domino obnoxii sint, matrimonium etiam sine eius consensu inire non possunt, quia de persona sua disponendi ius ipsis ademptum est. Hinc etiam domino satisfactio pro ancilla stuprata praestanda est, de qua ordinatio Osnabrugensis 4) ita exponit: Das so genannte Bethemundsrecht exercirt der Gutsherr gegen diejenigen, welche dessen eigenbehörige Magd geschwängert haben; derselbe muß nach altem Gebrauch, sich mit dem Gutsherrn mit einer Tonne Butter, oder sonst, so gut er kan,





fan, abfinden; quacum etiam ordinatio Rauensbergen-  
fis 5) & Lippiaca 6) consentit. Hinc cum eiusmodi ma-  
ritagium pro ipso vsu personae ancillae quasi soluatur,  
non inconcinne in diplomate apud FALKIVM 7) voca-  
tur *pretium pudicitiae*. Alia longe est ratio maritagii a ru-  
sticis liberis soluendi, quod ne vniuersale quidem est,  
& tantum pro spe, curiam in rusticum, eius vxorem  
ac liberos transferendi, praestari vt plurimum solet,  
neque adeo argumentum seruitutis continet, cum  
certum sit, illud a multis rusticis liberae conditionis  
solutum esse, & etiamnum praestari 8).

- ) HALTAUS in *Glossario* voce Schürzengeld.
- ) GODOFR. MASCOVII *notitia iuris Brunsvic. p. 133.* cf.  
etiam IO. WILH. HOFMANN in *observat. iur. germ.*  
*lib. I. c. 7. p. 83. sq.* & IO. GE. KEYSLER in *antiquita-*  
*tibus Germanicis p. 484. sqq.*
- ) in vxore theotisca s. der teutschen Frau c. I. p. 1-35.
- 4) Osnabrück. Eigenthums-Ordnung c. 4. §. 2. c. 16.
- 5) Ravensbergische Eigenth. Ordn. c. I. §. 9. c. 4. §. 3.
- 6) Lippische Eigenth. Ordn. §. 7.
- 7) in *traditionibus Corbeiensibus p. 657.*
- 8) Palm von der Leibeigenschaft c. 3. §. 6. *sqq.* PFEN-  
DORF *de iurisdictione germanica p. 456. sq.* & in *Observa-*  
*tionibus T. II. Obs. 66.*

### §. XVI.

*Nec mortuarium probat seruitutem.*

Notum est, mortuo homine proprio dominum  
ex



ex hereditate eius aliquam partem posse exigere ab herede defuncti, quam vulgo nomine *mortuarii* 1), des Rechts der todten Hand, Buttheil, Besthaupt, & id genus aliis, insignire solent; sin vero domino ius eligendi quid velit tribuitur, *Curmeda* 2) seu ius Curmedicum appellatur. Neque id iniquum esse videtur. Cum enim homo proprius omnia bona sua beneficio domini possideat: aequum est, vt successor, qui pari domini beneficio curiam nanciscitur, partem aliquam deuolutae hereditatis in memoriam beneficii dominici persoluat 3); quod olim eo magis necessarium videbatur, cum hominibus propriis nullum plane ius hereditarium in curias suas competere, idque adeo parte hereditatis a successore redimendum esse videretur 4). Iam sicut nulli omnino dubio obnoxium est, hanc praestationem in hominibus propriis fere vniuersalem esse per Germaniam 5): ita tamen ratio non constat argumento, quod inde ad euincendam seruitutem rustici duci vt plurimum solet. Constat enim, olim vrbes liberas adeo huic oneri subiectos fuisse, quod variis exemplis probauit de SELCHOW 6). Interdum etiam nobiles pato illud in se receperunt. Ita apud SCHEIDIVM 7) Wernherus, focer Emelonis de Sulingen, praedium rusticum accipiens ait: *Et insuper post mortem possessorum mansi sepe dicti, censum recipimus, qui Kormede vulgariter nuncupatur.* Similiter multi vasalli  
E nobi-





nobiles in Germania & Belgio teste MATTHAEO 8), LÜNIGIO 9) & GVDENIO 10) mortuarii oneri obnoxii fuerunt, neque tamen libertatis iacturam inde fecisse leguntur. Certe etiamnum in variis Germaniae regionibus, vbi nulli plane homines proprii deprehenduntur, mortuarium praestant rustici 11); quid? quod etiam in re militari Germanica vsitatum sit, *optimum equum* 12) defuncti officialis praestari duci bellico vel tribuno legionis; quo ipso mortuarii aliquam speciem contineri, nemo dubitabit. Quae quum ita sint, manifeste inde probatur, hanc ipsam mortuarii praestationem non absolutum pro probatione seruitutis argumentum, nisi alia concurrant, continere.

- 1) FERD. CHR. HARPRECHT *de iure mortuario in bonis defuncti hominis proprii domino eius competente*. Tubing.
- 2) SCHOTTELIVS *de singularibus in Germania iuribus* c. 2. §. 14.
- 3) HARPRECHT *l. c. c. 1. §. 2. 3.*
- 4) POTTGIESSER *de condit. & statu seruatorum lib. II. c. 11.*
- 5) C. G. KNORRENS *Anmerkungen* p. 353. sqq.
- 6) *de iuribus ex statu ingenuorum pendentibus* c. 1. §. 11. p. 32. sq.
- 7) *in den Nachrichten vom teutschen Adel* p. 171. not. c.
- 8) *de nobilitate* p. 955.

9) *iii*





- 9) im Reichs-Archiv; Parte spec. von Oesterreich p. 142.  
10) in Codice diplom. T. I. p. 99.  
11) LVDOLF in *obseruat. T. III. obs. 273. Ill. STRVBE* in  
*obseruat. iuris & hist. germ. p. 244. sqq.*  
12) E. A. RITTMER Specimen iuris militaris *de iure opti-*  
*mi caballi.*

## §. XVII.

*Census gallinarum non probant seruitutem.*

Ab antiquissimis inde temporibus coloni domi-  
nis suis censuum nomine varia animalia, praesertim  
gallinas 1) praestiterunt, quae inde nomen der Zins-  
hühner acceperunt; eaeque a rusticis tam liberis quam  
seruis etiamnum praestari solent. Est tamen in his  
quaedam gallinarum species, quas Rauchhühner s.  
Kochhühner adpellare solent. In chartis saepius gal-  
linae fumigales, pulli fumigales, plerumque vero  
gallinae de area 2) vocantur, manifesto indicio, eas  
a quolibet areae possessore (von jedem Rauche,  
Feuer und Herde i. e. Hause) praestari oportuisse,  
atque adeo censum realem non personalem consti-  
tuisse, quod a doctissimis viris HALTAVSIO 3),  
RICCIO 4) & SENCKENBERGIO 5) iam obser-  
uatum est, vt egregie fallantur, qui hac voce gal-  
linas non deplumatas designari contendunt. Inter-  
dum singuli praefecturae incolae eas domino praedii  
praestabant, & tum nomen *pullorum iudicialium*



(Schönre) fortiebantur, quod elegans charta apud VOGTIVM 6) demonstrat. Haec ergo gallinarum praestatio, cum plane sit realis, nullo modo ad probandum statum servilem coloni adlegari potest 7). Longe autem aliter se res habet ratione hominum propriorum. Hi enim in omnibus fere provinciis domino suo similem censum gallinarum, vel in Pomerania anserum (Leibgänse) praestare solent, qui tamen non praediis cohaeret, sed personis, adeoque cum in signum subiectionis personalis ab homine proprio exigi soleat, nomine der Leibhüner, Hals- hüner cet. designari solet 8); recteque igitur ad argumenta servitutis referri potest, si dominus probaverit, hunc censum non de bonis, sed personis colonorum sibi praestari oportere.

- 1) DEINLEIN de praestationibus gallinarum.
- 2) E. I. de WESTPHALEN in monumentis ineditis T. II. p. 2059.
- 3) in Glossario p. 1057. sq.
- 4) in spicilegio iuris germanici p. 156. sq.
- 5) in diff. de conditione servorum §. 6.
- 6) in monumentis ineditis T. I. p. 520. 521.
- 7) qua in re peccant IO. GÖTTL. HEINECCIUS de origine iurisdictionis patrimonialis §. 19, & POTGIESSER lib. II. c. 1. §. 44.

8) non






- 8) von Schweder von Anschlagung der Güter p. 143.  
STRUBE de bonis meivdingicis p. 193. sq. p. 207. HAL-  
TAVS in Glossario p. 831. 1245. Eisenharth vom  
Recht der Sprüchwörter p. 51. sq.

§. XVIII.

*Sola restrictio iuris de persona sua disponendi probat  
servitutem.*

Vidimus hactenus, quae argumenta in probando statu rusticorum servili perperam adlegari soleant. Restat, ut veriores huius probationis normas paucis exponamus. Iam cum omne ius domini in personam eius scriptum sit: sequitur, dominum non tutius procedere, quam si probauerit, sibi ius competiisse impediendi hominem proprium, quominus de persona sua in fraudem domini dispo-neret. Huc ergo pertinet ius domini impediendi fugam hominis proprii, & profugum vindicandi, quod Germani vocant das Besatzungsrecht, item die Abforderung s. Abfolgung der Leibeigenen 1), quae quum in liberis rusticis non cadat; grauissimum argumentum servitutis rustici hunc in modum vindicati perhibet. Porro huc referritur iuramenti adsecurationis 2) (Erbeid) praestatio, qua rusticus servum se profitetur, seque praestitutum praestanda; furtumque personae suae non commissurum esse





promittit, cuius elegantem formulam exhibet B. BOEHMERVS 3). Deinde cum homo proprius omnium dignitatum in republica incapax sit, probare debet dominus, rusticos suos, consensum suum ad discendas litteras & officia publica ambienda redimere oportuisse & actu redemisse; quo ipso aut praesens aut pristinus eorum status seruilis manifeste elucescit 5). Idem quoque argumentum vim suam exferit, si rusticus, ut *vitae militari* se manciparet, quae seruos plane non admittit, libertatem suam antea redimere coactus fuit 6). Inprimis autem huc pertinet *prohibita acquisitio iuris ciuitatis*. Cum enim expediti iuris sit, ab antiquissimis inde temporibus 7), in vrbibus germanicis homines tantum liberos in numerum ciuium receptos esse, hodieque in multis Germaniae prouinciis vsu receptum sit, ut nouus ciuis natales ingenuos probare debeat (das Mannrecht beweisen), vel se non esse Cerocensitam (daß er nicht Wachszinsig sey) euincere debeat 8), inde manifestum sit, rusticum, quamdiu in seruitute constitutus est, nullo modo ad acquisitionem iuris ciuitatis admitti, aut in tribus & collegia opificum & mercatorum 9) recipi oportere. Iam si probatum fuerit, rusticum non nisi impetrato domini consensu, iure ciuitatis donari, aut in collegia opificum recipi potuisse: his similibusque argumentis conditionem eius seruilem euinci posse, mani-





manifestissimum est 10); quibus si forte reliquae notae serviles, quas recensuimus, accesserint, licet in se nihil probent, cum his tamen argumentis coniunctae, probationem seruitutis, luce meridiano clariorem efficere nobis videntur.

- 1) DAV. MEVIUS vom Zustande und Abfolgung der Bauern, *quaest. IV.* POTTGIESSER *lib. V. c. 2. §. 23. sq.*
- 2) HERTIVS de *Subiectione territoriali §. 15.* FRID. WILH. PESTEL. de *homagio §. 5.*
- 3) in *diff. de statu hominum propriorum c. 3. §. 4.*
- 4) POTTGIESSER *lib. II. c. 12.*
- 5) POTTGIESSER *l. c.*
- 6) IOH. DAV. KOEHLER de *origine & incrementis iurium & privilegiorum nobilitatis Mecklenb. §. 23. p. 47.*
- 7) POTTGIESSER *l. III. c. 18. §. 5. de SELCHOW de iuribus ingenuorum c. 1. §. 12. p. 36. sqq.*
- 8) ill. GE. LVD. BOEHMER de *impari matrimonio p. 30. sq.* CAR. FRID. WALCH de *homine proprio Ciuitatis experte §. II.*
- 9) LEYSER *Spec. 443. med. II.*
- 10) PVFENDORF *T. III. Obs. 22, de SELCHOW in elementis iur. germ. §. 313. p. 347. sq.* ibique citati auctores.

§. XIX.





## §. XIX.

*Conclusio.*

Haec sunt, quae pro instituti ratione, de nobili & controuersa hac materia breuiter edifferenda esse putauit, quae pro angustia temporis, qua circumscriptus fui, paucis tantum verbis prosequi licuit. Sin vero lectoribus non ingrata fuisse intellexero, operam dabo, ut, cum maius otium Deus aliquando concesserit, limatiore & pleniore oratione perpolita in publicum prodeant.

F I N I S.

*Corrigenda.*

pag. 6. lin. 3. l. lege. pro iege. pag. 7. lin. 18. l. variis pro varia.





VD  
18

**ULB Halle** 3  
007 662 947  












*Poi 28. n. 12*

*A. C. 4*  
*1765, 1 AD*

DISSERTATIO IVRIS GERMANICI INAUGVRALIS  
DE

STATV  
RVSTICORVM SERVILI  
EIVSQUE PROBATIONE

*P. 239*  
QVAM  
CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM  
ORDINIS

PRO  
LICENTIA

SVM MOS IN VTROQVE IVRE HONORES  
RITE LEGITIMEQVE CAPESSENDI

IN ALMA LVDOVICIANA

AD DIEM XXIX OCTOBR. C1D10CCLXV.

PVBLICO PROCERV M ACADEMIAE EXAMINI

SVBMITTIT

NICOLAVS BINDER

BERGEDORFFIENSIS.



GIESSAE

APVD IOANNEM IACOBVM BRAVN.

